



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis XXX. Ad Junii Casum Prudentialem. Argumentum. Ostenditur: an Sacerdos communicandus extra Missam debeat habere stolam? Declaratur, quid essent stolæ apud Hebræos, & apud Romanos? Quid sint

...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

tract. 7. cap. 48. Novissimè Pasqualig. in Theolog. tom. 108. num. 36. Horum rationes sunt. 1. Quia ex Concil. Trid. de Euchar. sess. 13. c. 8. duo tantum sunt modi communicandi, unus à seipso celebrante in Missa, alter de manu Presbyteri 2. Quia non celebrans, etsi Sacerdos, recipit Communionem more Laicorum, & sicam debet recipere de manu alterius Sacerdotis. 3. Quia ovis est pascenda à Pastore; cumque non celebrans consideretur tanquam ovis, non à se, sed à Pastore est pascendus Eucharistia. 4. Quia si ob gradum Sacerdotale licitum esset Sacerdoti non celebranti propriis manibus se communicare; absente alio Sacerdote, id etiam sibi liceret præsente altero Sacerdote; & tamen nemo audet hoc asserere. 5. His rationibus addenda est non contemnenda eruditio deprompta ex studio antiquitatis; scilicet, quia in Primitiva Ecclesia plurimi Sacerdotes, qui quotidie non celebrabant, nihilominus Communionem Sacram accipiebant, non suis manibus, & à seipsis, sed de manu alterius Sacerdotis. Casalius de Veterib. Sacris Christian. Ritib. part. 2. cap. 15. Novissimè Mabillon de Liturgia Gallicana lib. 1. cap. 6. num. 2. Et in præfat. ad Seculum Benedictin. 2. n. 36.

At è contra quòd possit Sacerdos, de quo in casu, sumere de per se Sacram Eucharistiam sustinet Diana part. 11. tract. 7. resol. 42. Quæ est impressa in Opere Coordinato tom. 2. tract. 2. resol. 39. & ibi allegantur Leander, Dicastillus, Martinus de S. Joseph, Amicus, præter Sylvium, Humobon, Fagund, & Suarezium alijs citatos per eundem Dianam part. 2. tract. 14. resol. 33. in d. tom. 2. Et tract. 2. Coordin. resol. 40. Quibus ego adjungo Bonacinam tom. 1. de Euchar. disp. 4. quest. 5. punct. 1. num. 131. Tamburin. de Commun. cap. 6. §. 5. Volpi in Resol. Moral. verb. Euchar. resol. 59. n. 6. & Gonet. tom. 5. de Euchar. disp. 10. n. 19. Rationes eorumdem sunt. 1. Quia nullum jus hoc prohibet. 2. Quia si Sacerdos extra Missam potest alijs ministrare Eucharistiam; ergo etiam sibi ipsi, ne sit deterioris conditionis. 3. Quia in die Parasceves non consecrat, neque Sacrificium facit, & tamen se communicat. 4. Quia in Eucharistia administratione non est necesse, ut alter sit Minister à suscipiente; olim enim (ut dictum est supra) concedebatur Sacramentum Laicis, & Eremitis, ut secum illud tenerent, & juxta suam devotionemsumerent. 5. Quia in Concilio Primo Nicæno can. 14. conceditur Diaconis, ut possint, absentibus Presbyteris, seu Episcopis, sumere de per se Sacram Eucharistiam. Ecce verba dicti Canonis: Accipiant (Diaconi) Eucharistiam secundum ordinem post Presbyteros, ab Episcopo; vel à Presbytero. Quod si non fuerit in præsenti vel Episcopus, vel Presbyter, tunc ipsi proferant, & edant. Quæ leguntur etiam apud Cottonium lib. 2. controu. 4. cap. 7. num. 160. Ergo si id concessum est Diaconis, non est negandum Presbytero, si alii absint Sacerdotes, siquidem & ipse est Diaconus.

Hæc ratio est fortissima, & hæc opinio affirmativa est communior, quam etiam amplectuntur (cessante scandalo, & urgente aliqua rationabili causa, qualis est illa simplicis devotionis) idem Cotton. d. c. 7. n. 157. Colleg. Salmanticen. tom. 10. de Sacramentis tract. 4. cap. 9. n. 18. Layman. lib. 5. tract. 4. c. 7. n. 6. Eminent. Card. de Lugo

de Euchar. disp. 18. n. 28. & Emin. Card. de Laurea de Euchar. disp. 24. art. 5. n. 67. & 68.

Neque urgent multum rationes contrariæ; ad primam enim, & secundam responderetur Presbyterum, de quo in casu, communicantem recipere Communionem à Sacerdote, qualis est ipse. Ad tertiam pasci à Summo Pastore Christo Domino, cujus ovis est idem Sacerdos. Ad quartam, cum alii Sacerdotes sint præsentes, à quibus communicari possit, cessare necessitatem cujus intuitu dicimus, posse semetipsum communicare. Ad quintam, praxim antiquam non officere casui nostro; siquidem tunc Sacerdotes non celebrantes communicabantur ab alijs, quia alii Sacerdotes non deficiebant, sed erant præsentes, quod cessat in casu nostro. Hinc antiquitus erat in usu, ut Anachoretæ, & alii incolentes Eremitas retinerent apud se Sacram Eucharistiam, & deficientibus Sacerdotibus eam acciperent à seipsis, ut legitur apud Emin. Bonam Rer. Liturg. l. 2. c. 17. n. 4. Macrum in Hierolex. verb. Eucharistia. Emin. Card. Baron. Ann. 57. & ibi Spond. n. 43. Et nos infra Decis. LXII.

Ex his supracitati Auctores proponunt dupl. alia quesita; Unum, an præsente Diacono, teneatur Sacerdos recipere de manu illius Sacram Communionem? Alterum, an in casu mortis, deficiente Sacerdote, ac Diacono, possit Clericus simplex, & etiam merus Laicus deferre Viaticum Eucharisticum moribundo? Et pro utroque quesito alii Doctores negant, alij verò affirmant; Lector recurrit ad Gobatum in sua Experim. Theol. tract. 4. à n. 443. Et segg. ad Lezanam consul. 48. n. 83. & ad ea, quæ dicuntur infra in secundo casu mensis Augusti. Decis. XXXIX.

DECISIONIS XXX.

Ad Junii Casum Prudentialem.

ARGUMENTUM.

Ostenditur: An Sacerdos communicandus extra Missam debeat habere Stolum? Declarantur, quid essent Stola apud Hebræos, & apud Romanos? Quid sint apud Venetos, & apud Ecclesiasticos? Agitur de Stolis, quas portant Parochi Patavini collegialiter incedentes; in signum quod olim erant, & adhuc sunt de gremio Ecclesiæ Cathedralis. Quare iidem Parochi non præcedant capellanos ejusdem Cathedralis in Processionibus? Ostenduntur prærogativæ, quas habet Parochus ob Stolum in functionibus Parochialibus, & præcipue in funeribus, & exequiis defunctorum. Tandem deciditur: an omnes Ecclesiastici teneantur de Præcepto, feria Quinta in Coena Domini, communicare?

SUMMARIUM.

- 1 Stola apud Hebræos erat vestis virilis, regens totum corpus, à collo usque ad talos.
- 2 Medi utebantur Stola, id est veste oblonga.

3 Sa-

- 3 Sacerdotes Hebraei utebantur Stolis lineis. Alii Levita laneis.
- 4 Stola apud Romanos erat vestis muliebris.
- 5 Octavius Ferrarius Lector publicus Patavinus laudatus.
- 6 Aures mulierum etiam antiquitus forabantur.
- 7 Stola apud Venetos est panni segmentum oblongum, dodrantali latitudine.
- 8 Equitis titulo Veneti Senatores ornati Stolam limbo aureo ornata deferunt.
- 9 Parochi Patavini Doctores portant Stolam cum pellibus peregrinorum murum in limbo.
- 10 Parochi Patavini sunt de gremio Ecclesie Cathedralis, & plurimi in anno intrant in Chorum ad publicas preces.
- 11 Parochi Patavini quare non habeant precedentiam cum Capellanis Ecclesie Cathedralis?
- 12 Stola apud Ecclesiasticos quid sit? & num. 15.
- 13 Orarium quid sit? & n. 16.
- 14 Stola intelligitur appellatione Orarii.
- 15 Stola quare vocetur Orarium? & num. 19.
- 16 Monachis olim prohibita sudariola ad delicias.
- 17 Orarii, id est Semicincti lineis utebantur olim ministrantes in mensis.
- 18 Stola secundum Theologos significat Divinam gratiam; ac alia plura.
- 19 Stola secundum Canonistas innuit dignitatem Sacerdotalem.
- 20 Stola in Parocho significat jurisdictionem.
- 21 Parochus in funebus habet precedentiam super Capitulo Ecclesie Collegiate; nisi consuetudo sit in contrarium.
- 22 Parochus non potest impediri à Regularibus, ne ingrediantur eorum Ecclesias cum Stola, & Cruce, dum associati sunt sui Parochiani.
- 23 Novitates presumuntur male, & pariter discor-dant.
- 24 Stolam pendentem à collo debet habere Sacerdos communicans extra Missam sub pena peccati mortalis. Contrarium n. 31. & 35.
- 25 Excommunicatio non fertur, ubi non est peccatum mortale.
- 26 Rubrica Ritualis habet vim legis.
- 27 Lex Ecclesiastica obligat ad culpam mortalem.
- 28 Sacerdotes extra Missam Patavii communicantes habent Stolam.
- 29 Hortamur verbum in re gravi habet vim precepti.
- 30 Doctorum plurium opinio ex eorum multitudine non excusat à mortali.
- 31 Ecclesiastici tenentur se communicare in feria V. Cæna Domini.
- 32 Sacerdotes, non habentes beneficium Ecclesiasticum, non tenentur communicare in feria V. Cæna Domini. Sed celebrare in Paschate.
- 33 Consuetudo est licita celebrandi in feria V. Cæna Domini aliquam Missam privatam in Capellis, vel Oratoriis.

CASUS PRUDENTIALIS.

An Sacerdos communicandus extra Missam debeat Stolam ad collum appensam habere? Et an feria Quinta in Cæna Domini omnes Ecclesiastici de precepto teneantur intra Missam Solemnem communicare.

Duas habet partes Casus iste: Unam de adhibenda Stola in receptione Sanctissimæ Com-

munionis per Sacerdotem. Aliam de Communionem Cleri in Quinta feria majoris hebdomadæ.

Circa primam partem, ad ornatum materiz duo pariter sunt examinanda. Unum quid sit Stola? Alterum quid significet?

Quoad primum, scire oportet, aliam fuisse Stolam apud Hebræos, aliam apud Romanos, aliam apud Venetos, & aliam apud Ecclesiasticos.

Apud Hebræos Stola erat vestis virilis, talaris honorifica, qua tegebatur totum corpus à collo usque ad talos; & ea utebantur viri; ut testantur plura exempla Scripturæ Sacre; nam cum Pharaon constitueret Joseph super universam terram Aegypti, *Vestivit eum Stola byssina*, Gen. 41. 42. Cumque ipse Joseph se manifestasset fratribus suis, ipseque reversuri essent ad patrem suum Jacob, tunc Joseph singulis quoque proferri iussit binas Stolas: Benjamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque Stolis optimis, Gen. 45. 22. Similiter cum Rex Achaerus decrevisset honorare Mardocheum, dixit Amano; *Festina, & sumpta Stola; & equo fac ut locutus es Mardocheo Iudæo*. Tulit itaque Aman Stolam, & equum, indutumque Mardocheum in platea civitatis, & impositum equo pracedebat; atque clamabat, *Ecce Esther. 6. 10.* Et omissis aliis, cum Filius prodigus poenitens reversus esset ad Patrem. Dixit Pater ad servos suos, cito proferite Stolam primam, & induite illum. Luc. 15. 22. Quiquidem mos vestiendi Stola insignes viros apud Hebræos, vel fuit per eosdem acceptus à barbaris nationibus, vel ad eosdem ab illis transiit, nam etiam Medi utebantur Stola pro vestitu, quam Cyrus transfudit ad Persas, teste Xenophonte l. 8. de Cyro, ita scribente: *Itaque elegit solus Medus & ipse ferre; & ut familiares ea uterentur persuasit*. Hac enim ei visa occultare, si quis defectum aliquem haberet in corpore, (Eo quia erat vestis fluxa, & cadens ad pedes) Præterea illa indutos pulcherrimos, & maximos confici; hoc est decorem, & amplitudinem stature augere. Et concordat Diodorus Siculus lib. 2. narrans: *Arbacem, qui primus ex Medis Assyriorum imperium, defuncto Sardanapalo, occupavit, indutum Regia Stola Regem appellatum fuisse*.

Porro Hebræi Sacerdotes utebantur Stolis lineis, non etiam alii Levitæ, quorum Stola erant laneæ, donec à Rege Agrippa de facto, & contra instituta legis ætate fuerint etiam Levitis laneæ Stola concessa, ut scribit Joseph Flav. lib. 20. antiq. c. 17. his verbis: *Levitica Tribus homines, quorum erat sacros hymnos in templo canere, adito Rege (Agrippa) induxerunt eum preces, ut advocato Concilio, decerneret eis utrum Stola lanea, que tum solis erat concessa Sacerdotibus; hanc enim novationem pertinere ad perpetuam ipsius Regni memoriam. Neque frustra fuit eorum postulatio Rex enim de Concilio sententia permisit hymnorum Cantoribus, ut, deposito priori habitu, lineum, ut voluerunt, sumerent. Quod etiam observavit Eruditiss. ac Emin. Card. Brancatius in Opus. de Benedic. Diaconali pag. 332.*

Apud Romanos, è contra, Stola erat vestis muliebris; juxta magistræ responsum Vulpiani Jurisconsulti in l. *Vestis*, 25. ff. de Auro, & Argenti leg. in qua cum dixisset. *Vestimenta omnia aut virilia sunt, aut puerilia, aut muliebra, aut communia, aut familiaria*; Explicans ea quæ spectabant ad mulieres, primo loco nominavit Stolas, ita scribens: *Muliebra sunt, quæ matrisfamilias*

causa

causa parata sunt, quibus vir non facile uti potest sine vituperatione, veluti Stola &c. Idcirco Oflavius Ferrarius, (in quo nostris temporibus adeo floruit eruditio Græcæ, ac Latinæ linguæ, & à quo Lyceum Patavinum voce, & typis fuit decoratum) lib. 3. de Re Vestiaria cap. 17. definivit, quod Ingentiarum, & honestarum matronarum propria Stola fuit; tunica scilicet manicata, sive manulenta ad plantas fluens, purpura, segmentis, sive limbis aureis ornata; eademque multis rugis, ac plicis confecta. Et adfert testimonium Martialis irridentis quamdam vetulam utentem ampla Stola his verbis:

Cum tibi trecenti consules Petustina,
Et tres capilli, quatuorve sint dentes,
Rugosior em geris Stola frontem.

Sic Cicero redarguens effeminatos mores Marci Antonii, Philipp. 2. ait: Sumpsi virilem togam, quam statim muliebrem Stolam reddidisti. Et Terullianus lib. de Pallio vituperans Achillem, morantem inter feminas, dixit: Ille ferarum medullis educatus, sustinet Stolam fundere, comam struere, speculum consulere, aurem quoque foratu effeminare. Pari modo Seneca de Beata Vita cap. 13. de Epicuro loquens per ironiam, subdit: Hoc tale est, quale vir fortis Stola indutus. Itaque Stola erat verè, & propriè vestis muliebri apud Romanos, nam & Caligula vocabat Liviam Ulysses Stolatam; & Valerius Maximus scribit de matre, & uxore Coriolani lib. 5. cap. 11. In quarum honorem, Senatus matronarum ordinem benignissimis decretis adornavit. Sanxit namque ut feminis semita viri cederent confessus plus salutis Reipublica in STOLA, quam in armis fuisset. Vitruvius quoque ostendit Stolam fuisse vestem feminilem, loquens de Carvatiibus lib. 1. cap. his verbis: Oppido capto, viris interfecit, matronas eorum in servitutem abduxerunt; nec sunt passi STOLAS, neque ornatus matronales deponere.

Apud Venetos Stola est panni segmentum ob longum dodrantali latitudine, quod sinistro humero injiciunt. Olim enim pro capitis integumento erat, inferiori parte in humeros, & dorsum decore fluente, quæ vulgo Capuccia dicebantur, nempe cuculli; sed postquam pilei rotundi in usum venerunt, eadem res ornamentis causa servata est, & à Venetis Patriciis vocatur Stola; quam limbo aureo exornant, qui à Senatu, vel Regibus titulo Equitis sunt decorati, & ex purpura auro contexta efformatam portant, cum Senatores rubeas togas induunt; quod notat idem Ferrarius in Analect. de Re Vestiaria ca. 16. & in Dictionario de Origine Lingua Italica verb. Stola. Hinc non inutile advertere, Congregationem Parochorum Paduæ adhibere ad ornatum satis consimilem Stolam, Capuccium appellatam, quam in humero sinistro Parochi portant dum Cottam induunt, & collegialiter procedunt, cum pelibus peregrinorum murium in limbo, si Doctoralem lauream possident; illam enim antiquitus deferabant ad cooperiendum caput, dum ipsi noctu ad divinam psalmodiam chorum Ecclesiæ Cathedralis ingrederentur, unà cum Canonicis; tanquam de gremio ejusdem Cathedralis, & primicoadjutores in divinis officiis; quibus deinde ad curam animarum in Ecclesiis filialibus urbis dimissis, succedere novi Capellani, instituti pro adimplendis piis legatis relictis cum onere Missarum, & residentia Choralis; retento tamen jure per eosdem Parochos eundem chorum ascen-

dendi pluries in anno, quamvis deperdito loco superiori, stando, & deambulando in Processionibus, illoque modernis Capellanis acquisito; ex non bene deductis Juribus Parochorum in judicio, quorum Advocati, excellentiorem statum protendentes; antiquiorem verò originem, ac retentum jus gremii tacentes, litem perdidit; in qua fuissent victos, si antiquitatem Parochorum in servitio Cathedralis, & jus interveniendi, quod adhuc in choro habent, tanquam membra ejusdem Cathedralis, ostendissent. Rotaram Buratto decis. 868. Bodon. in Theatr. Precedentiarum. 128. Bichius decis. 566. Ludovisius decis. 284. Cæsar de Panimoll. decis. 1. Adnot. 17. Sed hæc obiter sint dicta.

Apud Ecclesiasticos autem Stola duo habet nomina, et si unicum esset; si quidem appellatur etiam Orarium, & quid sit tum Stola, tum Orarium licet unum sint, non ita planè potest definiri. Experientia docemur, Stolam nostram non esse vestem, sed veluti torquem à collo per humeros ad pectus pendentem, & usque ad genua protensum. Nihilominus Orarii nomine, (quod est idem ac Stola) intelligi vestem clericalem, inquit rex. in cap. Ut Presbyteri 17. q. 4. ubi ex Concilio Triburiensi statuitur: ut Presbyteri non vadant, nisi stola, aut Orario induti, & si in itinere spoliantur, aut vulnerantur, vel occiduntur non Stola vestiti, simplici emendatione solvantur; si autem cum Stola triplici. Non enim est verisimile, quod per vicos, & plateas, ac etiam per longa itinera Presbyteri tenerentur deferre Stolam nostri temporis à collo pendentem; sed potius, incedere cum veste clericali, quam significare illi Patres voluerint, dictis vocibus Stola, & Orario, quod apertius videtur innuere tex. inc. Nullus 21. q. 4. sic disponens: Nullus eorum, qui connumerantur in Clero, vestimentum indecens habeat, sive in civitate degens, sive in itinere ambulans: sed Stolis utatur, quæ concessa sunt Clericis, ubi glossa in d. verb. Stolis, ait: id est veste talari; Ergo Stola apud Ecclesiasticos denotabat vestem talarem, ad quam alludit alia glossa in l. 1. Cod. Nulli licere in frans lib. 1. x. ubi comparative loquens ad vestimenta aliarum personarum dixit: Clauis militum, Purpura Regum, Toga Advocatorum, Habitus rusticorum, Cuculla Monachorum, Stola Sacerdotum.

Ceterum nomine Orarii Stolam, qua nunc utimur, intelligi omnes Ecclesiastici Scriptores testificantur. Gemma animæ l. 1. cap. 204. Deinde circumdat collum suum Stola, quæ & Orarium dicitur. Rabanus Maurus lib. 1. cap. 19. Quintum est, quod Orarium dicitur, licet hoc quidam Stolam vocent. Aicuinus de Divinis officiis cap. 39. Sequitur Orarium, id est Stola. Et adstipulantur veterum Conciliorum Patres, à quibus multa de usu Orarii sancita sunt, quæ satis superque constat ad Stolam nostri temporis pertinere; ut ex exemplis relatis per Marcum in Hierolex. verb. Orarium; & novissimè per Eminent. Cardinal Bonam lib. 1. Rerum Liturgic. cap. 24. à num. 6. Et Octavium Ferrar. in Analect. de Re Vestiaria cap. 23. qui sentire videntur, Apostolorum a se Stolam, seu Orarium, fuisse quidem vestem oblongam, Ecclesiasticam, totum corpus ambientem, qua induti Presbyteri sacra faciebant; at deinde, cum fuerit introducta Alba (quam Camisum appellamus) & Planeta pro usu Sacrificii, Stola anti-

antiqua mutata est in torquem, ut expresse docet Durand. in *Rational. Divin. offic. lib. 3. cap. 5.* Sed retinuit hanc nomenclaturam à fascia, quæ in limbo Stolæ antiquæ affluta erat, cujus fasciæ latitudinem imitatur Stola nostri temporis, re-tento totius vestis nomine in parte infima illius, ut conjicit Vincen. Ricard. in *Comment. ad Orat. 6. S. Pyocli*, & observat Baylius de *Re Vestiar. cap. 17.* atque admittit Emin. Card. Bona d. *cap. 24. nu. 6.* & Mabillon, in *Liturg. Gallic. lib. 1. cap. 7. n. 1. in fine.*

Nec ignorandum, antiquitùs Orarium nihil aliud fuisse, nisi Sudarium, strophium, aut lin-teolum, quo facies abstergitur, teste Flavio Vo-pisco in *Aureliano* scribente, ipsum primum do-nasse Oraria populo Romano, quibus uteretur ad favorem, quia videlicet sublati in altum Orariis, censebantur obtendere favoris signum, & Regem venerari. Ac D. Ambrosio in Oratione, quam ha-buit in obitu Satyri fratris sui, dum describens tem-pestatem, quæ jactabatur, *Divinum*, inquit, *fidelium Sacramentum ligari fecit in Orario, & Orarium invol-vit collo, atque ita se defecit in mare*, quo loco Ora-rium non Stolum, sed linteum significat, non enim Stola pertinebat ad Saryrum, qui laicus erat. Idem de-promittur ex S. Ambr. *Ep. 54.* De miraculis SS. Ger-vasii, & Protasii, ibi: *Quanta Oratoria jactitantur, & tactu ipso medicabilia reposcuntur.* Et ex S. Augusti-no *lib. 22. de Civit. Dei cap. 8.* ibi: *Oculum lapsum ligavit Orario.* Sed quæ relatio Orarii antiquo-rum ad modernam Stolum, erant Oraria, ut di-
 27 ctum est, Sudaria, & linteola, magis longa, quàm lata instar fasciæ; cujus aliquam similitudinem re-præsentat nostra Stola, obtinuit vocari Orarium; & Sudaria illa vocata sunt Oraria, ab ora vestis, quam antiqui adhibebant ad tergendam faciem, ante-quam linteola in usu essent, unde Plautus in *Aler-catore Act. 1. Scena 2.* *Sume laciniam*, partem scilicet extremam velis, *atque absterge sudorem tibi.* Ita Macer, in *Hierolex. d. Verb. Orarium.* Et Card. Bona d. *lib. 1. cap. 24. n. 6.* Hinc prohibitum erat antiquis Monachis Oraria secum retinere, *cap. Mo-nacho. 27. qu. 1.* id est Sudariola ad delicias, quæ non conveniebant pœnitentibus viris.

Potè Stolum etiam appellari Orarium, quia da-batur Oratoribus, idest, Diaconis Evangelium præ-dicantibus; vel à Verbo Græco *ἀγο*, quod significat
 19 *observo*, seu *custodio*, nam Diaconi debebant diligen-ter observare, & custodire, quæ fiebant in Sacris Mysteriis, vel *ab Hora*; quia iisdem compete-bat indicare tempus orandi, & psallendi, existimat *Hierolex.* & Cardin. Bona ubi supra ex Alcuino, Rabano Mauro, Beda, & aliis. Placet tamen opinio Octav. Ferrarii in *Analect. de Re Vestiar. c. 16.* obser-vantis, Oraria antiquorum verè, & pressim fuisse se-micinctia linea, quæ ponebantur in humero mini-strantium ad mensas, vel quibus cingebantur ad pectus ad abstergendas manus; cumque Diaconi essent ministri Mensæ Sacræ; cui ad inserviendum accedebant cum linteis, sive semicinctiis ab humero sinistro pendentibus; idcirco eadem lintea, vel se-micinctia sacra vocata sunt *Oraria* ad imitationem antiquorum; ac etiam *Stola dno rō g-Miv*, idest humero injicere. Et hæc de quidditate Stolæ.

Alterum, quod restat præmittendum, & exa-minandum, est, Quid significet Ecclesiastica Stola, seu Orarium? Et equidem aliud secundum Theo-logos, aliud secundum Canonistas significat. Pri-Dost, Clericali Tom. I. Lib. II.

mi notant per Stolum significari gratiam Divinam, qua homo recuperat innocentiam deperditam in Adam. Ita ex SS. Hieron. Aug. & Beda, Barradas in *Evang. tom. 3. lib. 3. cap. 21. Vers. Cito profer-te Stolum primam. Item Jugum Christi*; & ideo defer-tur super utroque humero. *Humilitatem*; quia tendit ad genua. *Fortitudinem*, sicque ab humeris descendit ad utrumque latus. *Perseverantiam in virtutibus*, & ita colligatur cingulo. *Obedientia Evangelii*, ideoque osculatur, dum collo apponi-tur. *Contemptum Mundi*, per transversionem su-per pectus in signum Crucis, ex quo memoriam *Passionis Dominice* in prosperis, & adversis, *orationem, & predicationem*; aliasque virtutes, quas ex Alcuino, Rabano, Alamario, Ivone, Gemma, & D. Bonaventura colligunt Durand. de *Divin. Officiis d. lib. 3. cap. 5.* Adrian. in *Exposit. SS. Sacrificii Altar. lib. 2. cap. 1.* Gavant. in *Rubr. Miss. par. 2. tit. 1. in Exposit. Tropolog.* Et Paulus IV. in *iisdem Rubric. par. 1. tit. 19. sub n. 7.*

At secundum Canonistas dignitatem Sacerdota-lem Stola significat, dum deferretur à simplici Pres-bytero in celebratione Missæ, Vesperarum, Lau-dumque solemniurn, sumptionis Communionis extra Missam (de qua infra) in sermocinatione, vel oratione coram exposita Sanctissima Eucharis-tia; aut dum exercet munus hebdomadarii, can-tatvè Martyrologium in Vigilia Nativitatis Domi-ni, sive aspergit aqua benedicta populum die Do-minico, vel Sabbato Sancto d. *cap. Ecclesiastica. dist. 23. S. Thom. 3. part. supplem. art. 7. in corp. Pignatell. tom. 3. conf. 48. num. 40.* Quando ve-rò Parochus Stola utitur in administratione Sacra-mentorum, in Processionibus, & in exequiis defun-ctorum significat Jurisdictionem. Gloss. in *l. Unica*
 23 *Verb. Fibus. C. Nulli licere infrans lib. 11. Gra-tian. Discip. forens. cap. 298. num. 64.* Pigna-tell. *tom. 3. Consult. 48. num. 2.* Et per consequens Parochus in functionibus Parochialibus, & præ-cipue dum comitatur funera suorum Parochiano-rum, indutus Stola, debet habere præceden-tiam super quoscunque alios Clericos ibi interve-nientes, etiam si essent Canonici Ecclesiæ Colle-giatae cum eorum capitulo; ut decisum refert
 24 Theodol. Rubeus in *Singularib. tom. 2. part. 4. de Præcedent. n. 84. relatus etiam inter Discip. forens. Gratiani d. cap. ubi legitur Decretum S. Congreg. Rituum diei 14. Octobris 1609.* Et idem esse de-cisum ad favorem Parochi contra alias Ecclesias Collegiatas in *Spoletana 21. Aprilis 1635. & in Landen. 23. Maii 1639.* testatur Pignatell. *tom. 7. consul. 46. n. 5.* unde non sunt audiendi contra-rium scribentes Barbof. de *Canon. & dignit. cap. 18. n. 67. 68.* Antonell. de *Regim. Militan. Eccl. lib. 3. cap. 18. n. 21.* Et Ceccoper. de *Canon. lib. 1. n. 202.* nisi dicamus, eorum opinionem habere locum, ubi legitima consuetudo sit contra Para-chum, ad tradita per eundem Gratian. d. *cap. 298. n. 8.* Marchettum in *Praxi Vicar. Capit. tit. 5. n. 13.* & Pignatell. d. *conf. 48. n. 14. & 20.* ubi fortissimis ra-tionibus, & punctualibus decisionibus ulterius demonstrat, Parochum impediri non posse à Regu-
 25 laribus, quin cum Stola indutus, & cum Cruce ipse quoque ingrediatur eorum Ecclesiam cum cadave-re sui Parochiani defuncti, & assistat exequiis, dummodo permittat, officium fieri super defuncto ab iisdem Regularibus, ut servatur hic Patavii ab im-memorabili; quam cum impugnare conati essent nonnulli, paucis ab hinc annis, coacti fuerunt per
 M Parochos,

Parochos, medio juris, abstinere à novitibus ;
 26 quæ semper præsumuntur malæ. Rebuff. in Rubric. de Rescript. num. 25. Jaf. in l. In rebus. num. 5. de Constit. Princip. Et cum pariant discordias, reprobantur à Sacris Canonibus. cap. Cum consuetudinis. de consuetud. cap. Quod dilectio. in fin. de consanguin. & affin.

His ad ornamentum Stolæ enucleatis, resolvendo primam partem quaesiti, *An Sacerdos communicandus extra Missam debeat Stolum ad collum appensam habere?* Plures responderunt affirmative, & quidem sub pœna peccati mortalis. Primò: quia in cap. Ecclesiastica dist. 23. id præcipitur sub pœna excommunicationis. Sed excommunicatio non fertur, ubi non est peccatum mortale. cap. Nemo Episcoporum. cap. Nullus Sacerdotum. tit. 1. qu. 3. Layman. lib. 1. tract. 5. part. 1. cap. 5. n. 1. Ergo. Secundo, quia peccat Diaconus cantando Evangelium sine Stola; & proferendo, sine illa, Verba Christi. Ergo eo magis Sacerdos recipiens sine Stola ipsum Verbum Divinum, nempe Corpus Christi. Tertiò, quia Rituale Romanum id præcipit in Rubrica de ordine Ministran. Sac. Comm. ibi: Sacerdotes verò cum Stola communicent. Sed Rubrica Ritualis habent vim legis. Gratian. discept. forens. cap. 11. num. 7. Loter. lib. 1. q. 16. num. 123. & Sperell. qui DD. cumulat. dec. 179. n. 23. Sed lex Ecclesiastica obligat ad culpam mortalem. S. Thom. 2. 2. q. 104. art. 6. q. 105. art. 1. q. 147. art. 3. Baldell. de legib. lib. 5. disp. 19. & d. sp. 20. Ergo. Et ita videntur tenere, & sentire Naldus in Summa Verb. Sacerdos. n. 6. Jordan. lib. 3. tit. 3. n. 83. & Possévin. de Offic. Curati cap. 8. n. 23.

Nihilominus communis sententia Doctorum est negativa. Primò, quia cap. Ecclesiastica, dist. 23. vel loquitur tantum de celebratione Missæ sine Stola, ut ait Silvester verb. Sacerdos. qu. 4. Secundo, vel quia non potuit infligere pœnam excommunicationis in tota Ecclesia, cum fuerit conditus ille Canon à solis octo Episcopis, absque Summi Pontificis licentia congregatis, Macer. in Hierolex. verb. Stola. Tertiò, vel quia quo ad culpam, & pœnam prædictus Canon non fuit acceptatus, vel contraria consuetudine abrogatus. Ita Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 28. q. 12. Diana part. 2. tract. 14. resol. 20. quæ in Coordinato requiescit tom. 2. tract. 2. resol. 42. Bonacina tom. 1. disp. 4. qu. 6. punct. 2. num. 2. Reginald. lib. 29. n. 112. Graffius part. 1. lib. 2. cap. 41. n. 2. Quartus in Rubric. Miss. part. 2. tit. 10. sect. 3. dub. 3. difficult. 5. Tamburin. de Expedit. commun. cap. 2. num. 10. Collegium Salmanticens. De Sacramentis in genere, tract. 4. cap. 7. num. 56. Emin. Cardin. de Logo de Euchar. disp. 20. n. 98. Barbosa de Parocho cap. 20. n. 26. Bissus in Hierurg. tom. 2. verb. Stola n. 191. §. 7. ubi alios allegat, & Gobat in Experim. Theolog. tract. 4. num. 47. Nec urgere videntur alix duæ rationes contrariæ, non illa de Diacono, quia est disparitas inter officium ejus solemne in Missa, & inter privatam Communionem Sacerdotis extra Missam. Quo verò ad Rituale Romanum non videtur obligare ad mortale, vel quia agitur de re parva, vel quia non est usu receptum in hac parte.

Hæc verò ultima responsio veritati non arridet, siquidem omnes Sacerdotes timorati adhibent Stolum, dum extra Missam sive sani, sive infirmi Sacram Communionem recipiunt, ut per cursum an-

norum quinquaginta semper ego vidi, & observa-
 32 vi in hac civitate; & idè est usu receptum Rituale Romanum; quod autem agatur de re parva, non videtur subsistere; cum tanta sint dicta, & Præcepta in Sacris Conciliis de excellentia Stolæ, & Orarii spectantis ad habitum, & dignitatem Sacerdotis. Forfan excusabitur ommissio Stolæ in hoc casu, quia Paulus V. in Bulla approbante Rituale prædictum, non jubet ejus executionem, sed hortatur: at regula est in jure, quod verbum *Hortamur*, ubi agitur de re gravi, qualis est Sacrorum Rituum pariformis in Ecclesia observatio, habeat vim præcepti. Fagnan. in cap. Qualiter. n. 38. de Cleric. non residen. Vel non erit grave peccatum ex multitudine Doctorum ita asserentium. Sed hoc non concedit P. Thyrius Gonzalez de Recllo Usu Opin. probabil. differt. 13. §. 14. ubi piè, & eruditè probat non sufficere multitudinem Authorum tanquam oves, & aves sententiam alterius sequentium, sed vel vim rationis, vel auctoritatem legis esse attendendam. 34

Quare existimo concludendum in casu proposito; teneri Sacerdotem Stolum induere, alias peccare, nisi grave incommodum, vel totalis oblivio, aut Stolæ deficientia, talem omissionem excuset. Hæc de prima parte propositi Casus.

Secunda verò pars casus quaerit, *An feria quinta in Cœna Domini omnes Ecclesiastici de præcepto teneantur intra Missarum solemnita communicare?* Et respondendum est affirmative, quia extat Can. in cap. In Cœna Domini 17. de consecr. dist. 2. In quo Soter Papa præcipit, ut omnes fideles Sacram Communionem recipiant in ipsa Feria V. Cœnæ Domini; & multo magis illi de clero; ut perpetuis temporibus fuit observatum in Ecclesia; quod probatur tum ex ordine Romano sub tit. de Cœna Domini, ibi: *Fratris autem oblati communicent Presbyteri primò, postea Diaconi, & ceteri omnes*, tum ex Alcuino, qui floruit anno 780. scribente in lib. de Divinis offic. cap. De Cœna Domini: *Dum cantatur Antiphona ad Communionem interim Clerum, & omnem populum communicare*, tum etiam ex praxi omnium Ecclesiarum Collegiarum, & Monasteriorum, aliorumque Regularium, qui hanc servant laudabilem consuetudinem, recipiendi (dicta Sacra die Cœnæ Domini) Eucharistiam à Sacerdote, vel Præfato solemniter celebrante, in memoriam Communionis receptæ per Apostolos de manu Christi Domini. Et idè hanc consuetudinem habere vim legis, & obligare scripserunt Francolin. de Horis Canon. part. 1. cap. 30. num. 4. Azor. tom. 1. lib. 10. cap. 24. Quasi Quinto.

Eidem suffragatur id, quod est statutum in Regula S. Benedicti Abbatis in cap. 38. num. 4. his verbis: *Cum autem Sacerdotes, qui propter infirmitatem, aut in die Dominicæ Cœna, aut ex aliqua causa non celebrant, communicare contigerit, juxta Decretum Sanctorum Patrum, Stolum semper super humeros habeant.*

Tandem, quia hoc præcepit, & servari mandavit Sacra Rituum Congregatio die 27. Septembris 1608. ut legitur apud Gavant. in Rubr. Miss. part. 4. tit. 8. apud Bauldry in Manual. Sac. Carem. part. 4. cap. 9. art. 2. num. 9. Et apud Mactum in Hierolex. verb. Feria V. in Cœna Domini. Idcirco in memoriam tanti Mysterii omnes de Clero ipsique Sacerdotes dicto die à celebrante recipere debent Sacram Communionem. Duo autem genera Eccle-

Ecclesiasticorum videntur excipiendi. *Unum est eorum, qui nullum beneficium habent, & nulli Ecclesiæ sunt addicti; hi enim non censentur obligati ad hoc præceptum; sed ad illud de communicando, vel celebrando in Paschate juxta cap. Omnis Utriusque Sexus. de Penit. & Remiss. in 6. quod ex D. Bonavent. in 4. dist. 12. art. 2. qu. 2. tenet Diana part. 2. tr. 14. resol. 19. Collocata in Coordinato tom. 2. tract. 1. res. 58. Alterum est illorum Sacerdotum, qui die prædicta Cœnæ Domini privatam Missam celebrant in aliquo Oratorio, vel Capella juxta locorum, & Ecclesiæ consuetudinem; quam licitam esse ait Emin. Cardin. de Lugo de Euchar. disp. 20. n. 14. cum Suarezio disp. 80. sect. 2. & aliis relatis per Dianam part. 11. tract. 5. resol. 32. sedente in Coordinato tom. 2. tr. 1. resol. 73.*

DECISIONIS XXXI.

Ad Julii Quæsitum primum,

ARGUMENTUM.

Indagatur, quomodo in EUCHARISTIA accidentia remaneant sine subjecto? Adducuntur rationes Theologicæ; & datur similitudo Fulminis destruentis gladium; remanente intacta vagina; evacuantis vinum, intacto subsistente dolio; & absorbentis substantiam ovi, sine offensione putaminis. Additur exemplum recti Ecclesiæ Sanctæ Mariæ in Vallicella de Urbe, suspensi in aëre tempore Sancti Philippi Neri.

SUMMARIUM.

- 1 Accidentia in Eucharistia alia sunt sensibilia in se, alia in effectibus.
- 2 Accidentia in Eucharistia sunt sine subjecto substantiali miraculose, & n. 3.
- 3 Accidentia neque aeri, neque Corpori, aut Sanguini Christi inexistunt in Eucharistia.
- 4 Accidentia an in Eucharistia habeant subjectum accidentale?
- 5 Accidentia in Eucharistia sustentantur a quantitate.
- 6 Quantitatis accidens stat in Eucharistia sine aliquo subjecto. Et quomodo.
- 7 Fulminis exempla pro demonstranda existentia accidentium in Eucharistia sine subjecto.
- 8 Fulmen destruit vinum, & non dolium. Nummos, non autem sacculum. Gladium, & non vaginam. Ovum absque putamine.
- 9 Miraculum trabis in aëre stantis in Ecclesia S. Mariæ Vallicella tempore S. Philippi Neri.

QUÆSITUM PRIMUM.

Quomodo in Eucharistia remaneant accidentia sine subjecto.

Dixere: *Primo*, accidentia panis, & vini alia esse sensibilia in se, ut sunt quantitas, figura, color, sapor, odor. Alia vero esse sensibilia tantum in suis effectibus, ut virtus calefaciendi, & inebriandi, nam constat experientia, *Dist. Clericali Tom. 1. Lib. 11.*

solas species Sacramentales inebriare posse, si in magna quantitate bibantur, ut notat Mastrius in 4. Sent. disp. 3. num. 360. *Secundo*: Prædicta omnia accidentia post consecrationem remanere sine subjecto substantiali, quia nihil substantiæ panis, & vini remanet, cui possint inhaerere, cum tota panis, & vini substantia sit transubstantiata in Carnem, & Sanguinem Christi; cap. firmiter. De Summ. Trinit. & fid. Cathol. Concil. Constant. sess. 8. ubi damnat hæresim Wiclefi dicentis, *Accidentia panis non manere sine subjecto in Eucharistia Sacramento.* Item Concil. Florentin. & Concil. Trid. sess. 13. de Sacrosancto Euchar. Sacram. c. 4. & can. 2. Corpori autem Christi, aut ejus Sanguini præfata accidentia non inexistunt, ut fides docet, alioquin Corpus Christi esset album, rotundum, liquidum, fixile, atque adeo passibile. Neque etiam inexistunt aeri; ergo stant miraculose sine subjecto substantiali, ut docent omnes Theologi. S. Thom. 3. part. quæst. 77. art. 1. Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. & 2. Eminent. Cardin. de Lauræa De Eucharist. disp. 23. art. 1. & Gonet. tom. 5. de Euchar. disp. 6. art. 1. *Tertio*, cumque omnes Catholici concorditer id sentiant, non ita conveniunt de subjecto accidentali; An scilicet ipsum excludatur quoad omnia accidentia, itaut omnia æqualiter existant, nulli subjecto nec substantiali, nec accidentali innitendo; vel potius in tota collectione accidentium sit aliquod ex ipsis, quod nulli alteri inhaereat; sed cætera omnia inhaereant ipsi tanquam immediato? Siquidem, omnia accidentia æquè remanere sine ullo subjecto tam substantiali, quam accidentali docent plures Theologi, quos citat Mastrius in 4. d. disp. 3. num. 361. Et Eminent. Cardin. de Lauræa dist. disp. 23. art. 2. num. 42. Porro opposita sententia communis est inter scholasticos, docentes, solam quantitatem, præcipuum accidens in hoc Sacramento, esse sine subjecto: reliqua vero accidentia recipi, & sustentari in quantitate, tanquam in proximo, & immediato subjecto, uti recipiebantur antea, quando simul cum quantitate inhærebant substantiæ: ideòque asserunt, nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate; nam sola quantitas remanet separata à proprio subjecto, reliqua vero manent, ut antea, totaliter, ac sufficienter sustentata à quantitate; quia quantitas est subjectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiæ inhærent, tanquam subjecto ultimo; ut latè S. Thom. 3. part. q. 77. art. 2. Scotus in 4. dist. 12. q. 2. D. Bonavent. ibidem art. 1. q. 2. Eminent. Cardin. de Lauræa dist. disp. 23. de Eucharist. art. 2. Gonet. d. disp. 6. art. 2. & Mastrius disp. 2. Physic. q. 3. art. 2. ubi de hoc ratiocinantur, & Philosophicis etiam argumentis opinionem prædictam confirmant. *Quarto*, quamvis, ut dictum est, concorditer doceant omnes Scholastici, quantitatem subsistere in Eucharistia sine subjecto, sunt tamen discordes in assignando modo ita de per se subsistendi: alii enim volunt, esse necessarium novum perfectiatis modum, ut accidens separatim possit subsistere: alii opinantur, absque alio novo modo accidens ipsum sustentari à DEO, sed per novam actionem; alii absque novo modo, & absque nova actione; alii tandem per novum modum, & per novam actionem, sed quia hæc merè speculativa sunt, & parùm deserviunt